



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniversis Tam Ecclesiasticis quàm secularibus Principibus & aliis per
Theutoniam constitutis carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni
in Romanorum Imperatorem electo fauentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Aquisgranum publicè coronavit. Nos igitur providere volentes ne homo qui non conveniat operibus & actibus vestris, vobis de cetero principetur in perniciem corporum & periculum animarum, sed à vobis vetus fermentum penitèns expurgetur, vosque remaneatis azymì, sicut estis, de consilio fratrum nostrorum & tam Episcoporum quàm aliorum plurium Prælatorum venerabilibus fratribus Maguntino Archiepiscopo & Episcopo Cameracensi & Scholastico sancti Gereonis Colonienfis dedimus in præceptis ut cum apud eos sint ista &c. in eundem ferè modum ut in alia usque in finem. Moneamus igitur universitatem vestram & hortamur in Domino & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus eisdem Archiepiscopo, Episcopo, & Scholastico ad exequendum mandata apostolica utiliter & humiliter assistatis, & in bono proposito persistentes, prædicto Regi sicut hæcenus, immo fortiùs quàm hæcenus, præstetis auxilium & favorem, scituri quòd nostra vobis gratia non deerit. Datum ut supra.

ARCHIEPISCOPO MAGVNTINO,
Episcopo Cameracensi, & Scholastico sancti
Gereonis in Colonia.

Epist. 118.

Licet per alias litteras vobis dederimus in præceptis ut quia Colonienfis Archiepiscopus sententiam excommunicationis incurrit, quam in Ecclesia beati Petri Coloniae coram multitudine copiosa, ipso præsentate ac gerente sacerdotalem stolam in collo & candelam accensam in manu, venerabilis frater noster Guillelmus Remensis Archiepiscopus, tunc Prænestinus Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, promulgavit in eos qui à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo recederent & parti alteri adhererent, memoratum Archiepiscopum pulsatis campanis & candelis accensis denunciaretis excommunicationis vinculo innodatum, & faceretis per omnes Colonienfes Ecclesias & vicinas dioceses sub solemnitate simili nuntiari, suffraganeos & omnes vassallos Colonienfis Ecclesiæ tam Clericos quàm laicos absolutos ab ejus obedientia nuntiantes. Licet etiam vobis præceperimus distriçtè ut, quia ejus inobedientia, perjurium, & proditio sunt adeo manifesta quòd nulla possunt tergiversatione celari, vos eum auctoritate nostra suffulti sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo à pontificali deponeretis officio, nisi forsitan infra mensem post factam sibi denuntiationem à vobis ad sedem apostolicam personaliter accesserit judicandus, quia tamen vos ex vicinitate locorum & notitia personarum potestis plenius & perfectius rerum & temporum circumstantias indagare, præsentium vobis auctoritate concedimus quatenus diligenti & prudenti deliberatione præhabita, si vobis visum fuerit expedire, præfatum Archiepiscopum monere diligentius & inducere procuretis ut ad fidelitatem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi humiliter revertatur infra tempus quod ei duxeritis præfigendum, & de fide servanda tan-

tam ei exhibeat cautionem quòd de levitate ipsius non possit in posterum dubitari, absolutio- nis beneficium ei secundum formam Ecclesiæ impensuri, salva super excessibus ejus canonica disciplina. Alioquin juxta formam præscriptam & in aliis litteris plenius vobis expressam procedere non tardetis. Quòd si non omnes &c. Datum &c.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS
quàm secularibus Principibus & aliis per The-
toniam constitutis carissimo in Christo filio nostro il-
lustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem elec-
to faventibus.

Non est amicus hominis, sed fortunæ, qui sicut arundo vento, sic fortuitis casibus agitur, ei cui aridet in prosperis, deficit in adversis. Licet enim varij sint bellorum eventus, nec quod semper volvitur in eodem statu valeat permanere, non debent tamen viri constantes secundum varietates rerum labentium variari, sed stabiles potius permanere, scientes quòd finis, non pugna, coronat, & non qui cæperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Fides etenim in necessitate probatur, & constantia in adversitate clarescit; nec qui cum fortuna rotatur, constans debet aut stabilis appellari, aut dici fidelis qui fidem variat cum eventu. Vnde miramur non modicum & movemur quòd quidam Principum qui carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo sponte hominum fecerant & fidelitatis juramenta præstiterant non coacti, ex eo quòd nobilis vir Dux Sueviæ visus est aliquantulum prosperari, contra honestatem propriam & fidem præstitam venientes, relicto eo cui priùs adhæserant, ejus adversario adhæserunt, illis merito comparandi de quibus legimus in psalmita: *Filij Effrem intendentes arcum & mittentes sagittas conversi sunt in die belli.* Verùm quanto detestamur amplius in talibus levitatem, tantò in vobis constantiam potius commendamus; qui cum eodem Rege in suis tentationibus fideliter persististis, nec voluistis maculam in gloria vestra ponere ac juramenta propria violare. Super hoc ergo firmitatem vestram in Domino commendantes & prosequentes actionibus gratiarum, moneamus universitatem vestram & exhortamur in Domino & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus in bono proposito persistentes, eidem Regi tantò fortiùs assistatis quanto auxilio vestro noscitur amplius indigere; scituri quòd ex hoc vobis tantò magis constitutis nos in posterum debitores quanto sincerius diligimus Regem ipsum & incrementum honoris ipsius sicut hæcenus, immo magis quàm hæcenus, affectamus. Datum &c.

MAGVNTINO ARCHIEPISCOPO,
& Episcopo Hildesemensi.

Svam apud nos carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus querimoniam destinavit quòd cum nobilis vir Henricus Palatinus Rhæni fidelitatis ei præstiterit juramentum, contra factum suum venire non metuens, non solum

Epist. 119.

Vide Godefrid.
monach sancti
Pantaleonis
ad an. 1105.

Epist. 120.